

concessione superioris: ergo signum est non fuisse sublatum privilegium, quia non posset iterum fieri privata voluntate si fuisset corruptum: ergo ad summum fuit quasi ligatum ut operari non possit, durante illo affectu, et quasi in sensu composito (ut sic dicam), quod nihil est. Nam clarum est eum qui habet absolutam voluntatem non fruendi privilegio, non posse illo uti perseverante illa voluntate, quia est repugnantia inter illam voluntatem et usum; sed difficultas est an sola illa voluntas ita destruat privilegium, ut jam non liceat ad illud redire.

18. *Præfertur secunda sententia.* — *Voluntas privandi se privilegio quem effectum habeat.* — Hæc ergo posterior sententia mihi magis placet, quam ita declaro. Nam imprimis talis voluntas semper ita explicanda est ut sit simplex nolitio privilegii, id est, ut non sit cum intentione se obligandi ad aliquid, sed solum per modum propositi non utendi tali privilegio in futurum, nisi aliud evidenter constet de intentione volentis. Hoc videtur mihi certum ex rationibus factis, et quia nunquam præsumitur obligatio, nisi manifeste de illa constet, et quia ex communi usu moraliter constat non aliter haberi hunc affectum. Sic autem explicata voluntate illa, certum mihi videtur non auferre privilegium, sed licitum esse mutare propositum, ut ex generali doctrina suppono, et illo mutato, licitum esse privilegio uti, quia propositum illud non est contrarium privilegio, sed tantum usui, quod est valde diversum, ut in principio explicavi. Deinde censeo, licet privilegiarius habeat animum ex vi talis voluntatis privandi se privilegio statim et efficaciter, seu ipso facto (ut sic dicam), nihilominus illam voluntatem non habere statim talem effectum, et tantum esse ex ignorantia et falsa cogitatione, ac si hoc esset positum in sola propria voluntate. Hoc mihi persuadent rationes posteriori loco factæ. Explicatur vero amplius applicando hanc regulam ad nonnulla privilegiorum genera. Nam quædam sunt veluti dispensationes in aliqua lege, et de his censeo dispensationem consummari absolute in acceptatione privilegii, et consequenter non posse aliquem sola sua voluntate se iterum submittere legi a qua per privilegium fuit exemptus, ita ut per legem obligetur, licet possit illam, si velit, observare absque obligatione. Et consequenter licet interius velit non habere amplius tale privilegium, nihilominus semper illi esse in-

tegrum retractare voluntatem et suo privilegio uti. Hoc mihi probat discursus supra factus, quia concessio superioris fuit in acceptatione privilegii consummata, et fuit absoluta quoad effectum tollendi legis obligationem, quæ redire non potest per voluntatem privatam, sed ejusdem legislatoris, sicut dicebamus de dispensatione tollente impedimentum matrimonii vel aliam inhabilitatem.

19. *De privilegio per modum licentiæ quid facit voluntas interior.* — Alia esse possunt privilegia per modum facultatum aut licentiarum ad aliquid agendum pro aliquo tempore, quod sine tali licentiâ facere non liceret. Et de his similiter existimo, licet quis interius dicat se renuntiare tali licentiæ vel facultati, non ita illam ab se abdicare, quin postea, mutata voluntate, possit illa licite uti, quia ex vi suæ voluntatis non mutavit voluntatem concedentis, a qua sola illa licentiâ pendet postquam semel acceptata est. Nec per illam voluntatem propriam contraxit privilegiarius specialem obligationem non utendi tali privilegio, verbi gratia, non solvendi decimas, ut etiam probatum est: nam per internam voluntatem renuntiandi tale privilegium, non solum non datur alteri jus ad decimas, verum etiam nec ipse privilegiatus manet quoad se obligatus ad illas solvendas, ut videtur receptum frequentius in materia justitiæ: ergo, pari ratione, in privilegiis quasi absolutis seu non respicientibus alterum, non obligatur aliquis permanere in illa voluntate, nec illa habet statim effectum auferendi privilegium.

20. *De privilegiis per quæ delegatur jurisdictio quid dicendum.* — Alia sunt privilegia per quæ delegatur jurisdictio, et in his etiam existimo jurisdictionem non auferri per solam internam voluntatem privilegiarii; ut, si Prælati mihi commisit vices suas, vel casus sibi reservatos, et ego acceptavi illam, licet postea habeam affectum, quantum in me est, efficacem et absolutum a me auferendi talem jurisdictionem, non privor illa, sed mutata voluntate, possum et valide et licite illa uti. Quia jam illa jurisdictio non pendet in suo esse a recipiente, sed a concedente, seu delegante: nam a delegato tantum in usu pendet; quod videtur certum in delegationibus quæ fiunt in externo foro. Item ille modus mutandi jurisdictionem per actum mere internum non est hominibus accommodatus, et infinita incommoda ex illo possent mora-

liter oriri: ergo nec est possibilis homini per privatam voluntatem, nec est verisimile hoc esse consentaneum voluntati superioris privilegium concedentis. Atque hinc etiam dico non extinguere facultatem eligendi confessorem per solam voluntatem internam non habendi illam, quia illa et est quædam virtualis delegatio jurisdictionis, seu est quædam licentiâ, de qua eadem est ratio quæ de reliquis. Et ad hos modos privilegiorum videntur cætera reduci, et de omnibus censeo eandem esse rationem quantum ad præsens punctum attinet.

21. *Ad renuntiationem privilegii voluntas exterior requisita.* — Concludo igitur necessarium esse ut voluntas renuntiandi privilegium exterius se prodatur. Quam resolutionem confirmant argumenta secundo loco facta, et Gloss., Bald. ac Felin. in principio allegati; et ex illis et ex omnibus dictis colligitur breviter ratio, quia ad effectum abdicationis privilegii ex vi illius voluntatis necessaria est acceptatio seu consensus alterius. Nam si privilegium respiciat alterum cujus interest talis renuntiatio, quatenus in ejus cedit commodum, aut jus ei præbet vel aufert onus, etc., tunc ad consummationem renuntiationis acceptatio illius tertii requiritur. Quod egregie confirmatur ex cap. *Licet*, de Procur., in 6, ubi dicitur mandatum procuratoris non censi absolute revocatum, etiamsi is ad quem dirigitur dicat se nolle acceptare mandatum: nam, hoc non obstante, poterit, mutata voluntate, acceptare mandatum, quamdiu mandans priorem voluntatem suam non revocaverit: nam mandatum de se semper durat, donec revocetur, et alter libere etiam potest revocare suam voluntatem. Quæ doctrina ex eisdem principiis in omni casu simili procedit, ut ibi notat Anchar. In præsentem autem eadem est ratio, ut constat. Atque, eadem proportionem, si privilegium sit absolutum, et tertium non respiciat, tunc necessaria erit saltem concedentis acceptatio, ut recte docuit Sancius, libro 8 de Matrim., disput. 32, cum Loazes, tract. de Matrim. regis Angl., dubio 12, n. 28. Ratio autem est, quia renuntiatio privilegiati non mutavit voluntatem principis, sed eadem perseverat; ergo quamdiu non constat de illius mutatione, liberum est privilegiario mutare suam voluntatem et privilegium acceptare. Accedit quod ad superiorem per se pertinet tam mutatio privilegiorum quam concessio, et ab illius consensu per se pendet tum privilegii effectus, tum etiam effectus privilegio

contrarius. Ac denique ita expedit humanæ gubernationi, ut omnia ordinate fiant. Hæc autem concedentis acceptatio tripliciter intelligi potest. Uno modo ab homine, ut quia superiori datur notitia renuntiationis privilegii, et ille acceptat, sicut fit in beneficiis ecclesiasticis, et tunc erit res clara, non potest tamen semper postulari talis acceptatio. Alio ergo modo intelligi potest ille consensus superioris datus antecedenter, ut si in privilegio sit clausula vel conditio, ut si Petrus non acceptaverit privilegium, transeat ad Paulum vel censeatur non concessum; tunc enim eo ipso quod Petrus non acceptat, censeatur concedens acceptare ipso facto renuntiationem et suam voluntatem mutare, ut sumitur ex Glossa in dict. cap. *Licet*. Tertio denique modo contingit hæc acceptatio ex vi alicujus juris, ut in legibus supra citatis in fine priorum argumentorum, et in aliis juribus quæ capitibus sequentibus tractabimus.

22. *Respondetur ad quartum argumentum.* — Et ita est facilis responsio ad priora argumenta. Ad primum enim dicitur requiri acceptationem vel superioris vel etiam tertii, juxta conditionem privilegii, et ad illam requiri notitiam, et consequenter externum signum quo manifestetur interna voluntas; unde, licet privilegium ordinarie ita detur ut recipiens possit illud dimittere si velit, intelligitur nihilominus dimissionem ita esse faciendam, ut ordinata sit et humanis moribus accommodata. Unde ad secundum dico, ante obtentionem privilegii præcedere externum signum quo voluntas habendi privilegium manifestatur, et notitia ejus comparatur, et consequenter etiam necessarium esse externum signum acceptandi illud, vel aperte, vel saltem non refutando privilegium; nam eo ipso consentire quis videtur. Ad tertium, de amissione dominii, aliqui concedunt antecedens, quo dato poterit negari consequentia, quia proprium dominium simpliciter pendet ex voluntate propria: privilegium autem et effectus ejus, vel illi contrarius, magis pendet ex voluntate superioris. Ego vero nego antecedens, expresse enim ita cavetur in leg. *Si quis*, 17, § *Differentia*, ff. de Acquir. possess., et licet ibidem videatur contrarium dici de possessione, scilicet, amitti solo animo, prout etiam habetur in leg. 3, § *In amittenda*, eodem; nihilominus in lege *Quemadmodum*, 8, expresse dicitur possessionem non amitti, nisi animo et corpore. In quarum legum conciliatione laborant Glossæ et juristæ, quod illis

remitto. Mihi autem constans videtur jura quæ dicunt possessionem amitti solo animo, non loqui de pura voluntate interna, sed necessarium semper esse ut quis cedat possessionem alteri, ut in lege 1, § *Si vir*, eodem titulo. Cessio autem saltem requirit manifestationem illius animi et acceptationem; non ergo hoc excluditur in aliis legibus, sed significatur non esse necessarium corpore recedere a re possessa, si sit immobilis. Ad quartum respondetur requiri externum signum, vel sufficienter declarans internum affectum ab alio acceptandum, vel lege statutum, vel acceptatum, ut dictum est, et in sequentibus magis exponetur.

23. *Ad expressam renuntiationem, et voluntatem internam et signum externum requiri.* — Unde tandem addo ad expressam renuntiationem privilegii non solum esse necessariam voluntatem internam satis formalem, sed etiam signum externum satis expresse declarans illam voluntatem: nam si tantum illam ostendat per aliquod signum implicitum et obscurum, erit potius tacita renuntiatio. Unde recte videntur illa duo membra distingui, quia renuntiatio expressa fit verbis, tacita vero fit potius factis vel omissionibus; verba enim expresse significant interiorem affectum, facta vero implicite et subobscurè. Imo ad explicatam renuntiationem, necesse est ut verba sint satis clara: nam si sint ambigua, in dubio non privabitur quis privilegio suo: nam in dubio melior est conditio possidentis. In quo dubio, quod attinet ad internum forum stabitur intentioni et assertioni renuntiantis; in externo vero stabitur dispositioni juris, et conservabitur privilegium donec aliud sufficienter probetur. Et hæc videntur sufficere de priori membro illius divisionis, scilicet, explicata renuntiatione; tacita vero in sequentibus capitibus magis exponetur.

CAPUT XXXIV.

UTRUM PER NON USUM PERDATUR PRIVILEGIUM PROPTER TACITAM RENUNTIATIONEM, VEL PROPTER ALIUM TITULUM.

1. *Tacita renuntiatio contingit dupliciter vel tripliciter.* — Duobus modis cogitari potest implicita seu tacita renuntiatio privilegii, scilicet, per non usum ejus, vel per contrarium usum, quibus addi potest tertius, scilicet, per abusum, quamvis hic proprie ad renuntiationem non pertineat, licet aliquid de illa parti-

cipet, ut infra dicam. Renuntiatio enim tacita, ut paulo antea dixi, maxime attenditur ex signis vel indicis externis quæ non aperte, sed per conjecturas ostendunt voluntatem carenti privilegio: hæc autem conjecturæ maxime videntur sumi posse ex ordine ad usum privilegii, in quo tria illa membra distingui possunt, de quibus sigillatim dicendum est.

2. *Per aliquem non usum amittitur privilegium. — Quatuor vel quinque inquirenda.* — Quod ergo ad non usum spectat, sententia est valde recepta per aliquem non usum privilegium amitti, quam docent Glossa, Innocent., Panorm., Decius, Felin. et alii in cap. *Cum accessissent*, de Constitutionib., Bart. et alii in leg. *Falso*, c. de Diver. rescript., et in leg. 1, ff. de Nundin. Unde cum proportione inferunt restringi privilegium per usum restrictum, quatenus includit non usum majoris gratiæ vel favoris, ut notat Bald. supra, n. 8, ex Bart., in lege *Usum aquæ*, c. de Aquæduct., lib. 1; et Jas., in leg. ult., ff. de Constitutionib. princip.; est enim eadem ratio in non usu quoad partem quæ est in toto. Ut autem veritas hujus sententiæ expendatur et res tota declaretur, quatuor vel quinque inquirere et explicare necessarium est. Primum, de quo non usu sit sermo; secundum, quomodo intelligi valeat hæc amissio privilegii per non usum; tertium, quanto tempore durare debeat non usus ut hunc effectum inducat; quartum, an hæc amissio privilegii sit vera, et in conscientia, vel sit præsumpta tantum in foro externo, et consequenter an sit ipso facto, vel tantum per judicis sententiam.

3. *Circa primum notandum.* — *Duplex non usus privilegii.* — Circa primum oportet advertere hunc modum amissionis privilegii habere locum tantum in privilegiis affirmativis quæ aliquid faciendum indulgent, quia negatio affirmationi opponitur; sicut enim ommissio peccaminosa præcepto affirmativo est opposita, sic etiam non usus privilegii solum opponitur privilegio aliquem usum concedenti; quod affirmativum appellamus. Duobus autem modis potest contingere ut aliquis non utatur hujusmodi privilegio. Unus dici potest mere negativus; alius privativus, seu proprie omissivus, morali modo loquendo. Priori modo non exequitur quis privilegium quando oportunitas vel occasio pro qua datum est, non occurrit; sicut enim præceptum affirmativum, licet obliget semper, non tamen pro semper, ita privilegium affirmati-

vum, licet semper habeatur, non tamen pro semper, sed pro certis opportunitatibus, ut patet de privilegio audiendi Missam tempore interdicti, vel habendi suffragium in electione, etc. Quando ergo quis non utitur tali privilegio extra occasionem et tempus pro quo datum est, tunc est non usus mere negativus; sicut qui non exercet actum præceptum eo tempore pro quo non obligat affirmativum præceptum, non potest dici omittere præceptum, sed tantum non exercere actum illius.

4. *Non usus mere negativus non destruit privilegium.* — Unde etiam fit ut, sicut hæc negatio non est contraria præcepto, ita ille non usus non opponatur privilegio, et ideo talis non usus, quancumque tempore continetur, non sufficit ad amissionem privilegii, quia non est morale indicium voluntatis renuntiandi privilegio. Ita docent omnes, et facile probatur ex dictis, quia talis non usus nec per se inducit aliquid privilegio repugnans, cum illi non opponatur; ergo nec inducit tacitam renuntiationem, quia nullum indicium est voluntatis relinquendi privilegium, cum non procedat a tali voluntate, imo nec a voluntate non utendi privilegio, sed habeat aliam causam moralem adæquatam et propriam, scilicet, carentiam occasionis vel opportunitatis exercendi actum concessum per privilegium; ergo non potest prudenter attribui voluntati renuntiandi privilegio: ergo illa negatio non est morale indicium talis voluntatis, et consequenter non habet unde inducat tacitam renuntiationem privilegii. Et ita habetur expresse in Margarita Baldi, verbo *Statutum*, § 6, et citat l. *In filiis*, c. de Decurion., l. 10, propter illa verba: *Etsi necessitas non exigit, tamen patria non remittit*; ubi Gloss. ait: *Quædam enim habere possumus, etsi nobis utilia non sunt*; sic ergo habere possumus privilegium, etiamsi occasio non detur utendi illo. Atque ita notat etiam Bartol. in eadem lege, et Glossa in c. *Ut privilegia*, de Privileg., verb. *Semel in anno*; et ibi Panormit., et cons. 101, l. 1; Decius, in c. *Cum accessissent*, de Constit., n. 17; et Felin. ibi; et Mandos., tractat. de Privileg. ad instar, Gloss. 11, n. 9, qui alios refert; et plures Menoch. in Scholio ad Bartol. in dict. l. *In filiis*; et Franc. Balb., tract. de Præscript., 4 p. quintæ p. princip., q. 4, n. 3, ubi alia congerit.

5. *Alius modus.* — *Non usus privativus destruit privilegium si adsit voluntas et poten-*

tia. — Alius modus non utendi privilegio affirmativo est, quando in propria occasione, et pro eo tempore pro quo concessum est, omittitur ejus usus, et hunc vocamus non usum privativum seu omissivum, quia est carentia actus in tempore habili, et pro quo maxime esse posset vel deberet, juxta tenorem privilegii, servata proportione ad omissionem actus præcepti pro eo tempore pro quo præceptum obligat. Et de hoc non usu intelligenda est communis sententia, et jura quæ de hac materia loquuntur. Quia talis non usus opponitur suo modo privilegio, et potest esse aliquod morale indicium voluntatis renuntiandi illi: unde necesse est ut in tali omissione concurrant conditiones necessariæ ut ille non usus voluntarius sit, quæ sunt scientia et potentia; quia si non usus non sit voluntarius, non potest esse indicium alicujus voluntatis, nec moralem effectum inducere, ut per se constat: ergo nec potest esse indicium renuntiationis, quæ voluntaria esse debet. Si ergo quis non utatur privilegio tempore opportuno, quia est impotens, absens, infirmus, aut quia per violentiam impeditur, talis non usus non potest illi nocere ut privilegium postea amittat, quia voluntarius non est, idemque argumentum procedit de ignorantia, quia causat etiam involuntarium. Quæ doctrina sumitur ex Glossa in cap. *Abbate*, verb. *Donec*, de Verbor. signification., et ex aliis auctoribus allegatis. Qualis vero ignorantia ad hoc sufficiat, in sequentibus dicemus.

6. *Circa non usum.* — *Duplex modus.* — Circa secundum, oportet advertere duobus modis intelligi posse privilegium amitti per non usum: unus est per viam præscriptionis seu usucapionis, alius est per viam tacitæ renuntiationis. Hi enim duo modi sine dubio sunt longe diversi; nam quando res amittitur per præscriptionem, non amittitur ex voluntate amittentis, sed ex efficacia alicujus legis, etiam invito priori domino et possessore; quando vero per renuntiationem deseritur, amissio fit ex voluntate possidentis, ut dictum est, sive illa voluntas expresse, sive tacite solum indicetur. Et ita Gloss. hos duos modos distinxit in c. ult., 16, quæst. 4, significans longius tempus requiri ad præscriptionem quam ad tacitam renuntiationem.

7. Igitur in solo non usu non habere locum præscriptionem contra privilegium, videtur sumi ex Panorm., in c. *Joannes*, de Cler-